

DE SENSU CLAUSULAE «DUMMODO NON DETERMINET VOLUNTATEM» CAN. 1099

SUMMARIUM: 1. Collatio c. 1084/CIC 1917 et c. 1099/CIC 1983: a) Suppressio adiectivi «simplex». b) Suppressio incisi «etsi det causam contractui». c) Additio incisi «dummodo non determinet voluntatem». 2. Praesupposita c. 1099, 3. Inefficacia erroris «pervicacis». 4. Interpretatio clausulae «dummodo non determinet voluntatem». 5. Conclusiones.

In hoc articulo intendimus conamen facere determinandi quinam sit sensus clausulae «dummodo non determinet voluntatem» c. 1099 de errore circa matrimonii unitatem, indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem. Notum est enim hanc clausulam non inveniri in relativo c. 1084/CIC 1917. Immo negari non potest c. 1099/CIC 1983 videri mutationem doctrinalem induxisse relate ad doctrinam propositam in c. 1084 (1917), qui ceterum retinebatur satis exacte exprimere doctrinam quae decursu saeculorum ad maturitatem perducta erat. Ideo nihil mirum si tot ac adeo dispares interpretationes datae sint illi novae clausulae c. 1099.

Surgit statim quaestio: «dummodo *non determinet voluntatem*» ... *ad quid?*

— An ad actum ponendum seu ad consensum matrimonialem emittendum? At responsio affirmativa supponeret «errorem motivum» (uti dicitur in terminologia recenti) seu qui est ratio ob quam voluntas movetur ad contrahendum, invalidare consensum.

Quae suppositio esset contra doctrinam communem canonistarum, ideoque contra mentem Consultorum qui fere omnes «responderunt se retinere velle sensum quem nunc habet canon (1084/CIC 1917) secundum communem interpretationem»¹.

— An ad emittendum consensum ex cuius «contento» seu «volito» excludatur, uno vel alio modo, matrimonii unitas vel indissolubilitas aut sacramentalis dignitas? Tunc videtur transitus fieri ex campo erroris ad campum exclusionum per actum voluntatis ad sensum c. 1101 /p. 2. Ageretur tandem aliquando de applicatione principii generalis enuntiati in c. 126: «Actus positus ex ignorantia aut ex errore... qui recidit in condicionem sine qua non, irritus est».

Sequar hunc ordinem: imprimis instituam collationem inter c. 1084/CIC 1917 et c. 1099 Codicis vigentis, quo clarius pateat momentum mutationum quae inductae sunt. Dein ob oculos ponam aliqua praesupposita doctrinalia c. 1099. Tertio efferam inefficaciam erroris «pervicacis» seu «radicati», qua talis. Denique, via sic strata, conabor dare interpretationem clausulae «dummodo non determinet voluntatem» c. 1099.

1. Collatio c. 1084/CIC 1917 et c. 1099/CIC 1983

Commoditatis gratia, referimus textum utriusque canonis:

C. 1084/CIC 1917:

«Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem».

¹ *Communicationes* 3 (1971) 76.

C. 1099/CIC 1983:

«Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, dummodo non determinet voluntatem, non vitiat consensum matrimoniale».

Patent tres mutationes: 1) Supprimitur adiectivum «simplex»; 2) supprimitur quoque clausula «etsi det causam contractui»; 3) additur clausula «dummodo non determinet voluntatem».

Quod attinet historiam elaborationis textus, non nostra interest hic vicissitudines incisi «aut sacramentalem dignitatem» persequi, quod incisum suppressum erat in schematibus a. 1974 et 1980. Inductum autem est iterum, ex petitione Congregationis pro Doctrina Fidei, in Schema a Secretaria praeparatum ad Sessionem Plenariam Commissionis mensis octobris 1981².

Si vero attendimus ad tres mutationes definitivas, quas supra indicavimus, notamus: 1) adiectivum «simplex» et incisum «etsi det causam contractui» suppressa sunt inde a primo schemate, scilicet anni 1974. 2) In hoc autem schemate loco «dummodo non determinet voluntatem» dicebatur: «dummodo non afficiat voluntatem»³. 3) In schemate a. 1980, apparet incisum «dummodo non determinet voluntatem», quod transibit ad textum definitivum, suppresso inciso «dummodo non afficiat voluntatem»⁴.

² Cfr. *Relatio complectens synthesim animadversionum... cum responsionibus a Secretaria et Consultoribus datis*, Typis Poly. Vat. 1981, 257.

³ Textus sic sonabat: «Can. 59: Error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem, dummodo non afficiat voluntatem, non vitiat consensum matrimoniale».

⁴ Textus recitabat: «Can. 1053: Error circa matrimonii unita-

Quoad mutationes schematis 1974 notabat Pontificia Commissio Codici Recognoscendo: «Porro non placuerunt verba etsi det causam contractui et eorum loco posita sunt verba “dummodo non afficiat voluntatem”. Attamen expresse facta est quaestio an per hanc mutationem alius sensus canonis daretur et fere omnes Consultores responderunt se retinere velle sensum quem habet canon secundum communem interpretationem»⁵.

Ad haec verba tria sunt animadvertenda: 1) Commissio nullam dat rationem cur suppressa sint verba «etsi det causam contractui». Dicitur tantummodo quod haec verba non placuerunt. 2) Ad mentem Commissionis, verba “dummodo non afficiat voluntatem” videntur aliquo modo aequivalere verbis “etsi det causam contractui”, quia affirmatur illa verba posita esse *loco* horum. 3) Fere omnes Consultores voluerunt retinere sensum quem habet canon 1084/CIC 1917 secundum communem interpretationem. Iam vero haec propositio est difficilis intellectu, quia verba inducta in novum schema sonant longe aliter ac verba canonis 1084/CIC 1917.

Pauca de singulis mutationibus definitivis:

a. SUPPRESSIO ADIECTIVI «SIMPLEX»

Cur adiectivum “simplex” suppressum sit et quidem inde a primo schemate nihil dicitur a Relatore⁶. Attamen notandum est hoc adiectivum, iuxta investi-

tem vel indissolubilitatem, dummodo non determinet voluntatem, non vitiat consensum matrimonialem».

⁵ *Communicationes*, 3 (1971) 76.

⁶ Cfr. *Communicationes*, 3 (1971) 76.

gationem historicam ab H. DOMINE peractam⁷ esse usu recens. Probabiliter debetur Cardinali GASPARRI, qui et in c. 1084/CIC 1917 induxit. Hoc tamen minime minuit valorem doctrinae quae illa terminologia exprimebatur. Etenim adiectivum “simplex” addebatur substantivo “errori” ad indicandum illum errorem qui non versatur circa substantiam matrimonii sed circa aliquam eius qualitatem vel proprietatem (unitatem, indissolubilitatem, sacramentalem dignitatem) quique qua talis non impedit quominus voluntas intendere possit substantiam matrimonii ideoque verum matrimonium velle.

Adiectivum “simplex” tamen non videtur aptum ad illam doctrinam exprimendam. Nec acceptandae sunt explicationes quae hinc inde inveniuntur apud auctores, quae, uti sonant, non exprimunt recte doctrinam. Insistunt enim aliqui auctores hunc errorem esse actum intellectus et in intellectu terminari quin in voluntatem influat⁸. Quibus modis loquendi intendunt efferre hunc errorem non determinare voluntatem in obiectum quod non sit amplius matrimonium. Attamen fatendum est expressiones esse ineptas ac confusionibus obnoxias. Omnis enim error influit in voluntatem siquidem voluntas, si ad actum determi-

⁷ H. DOMINE, *L'errore semplice intorno alle proprietà essenziali del matrimonio ed il suo influsso sulla validità del matrimonio*, dis. ad Lauream in Fac. I. C. Univ. Greg., Parma 1966, 47-70.

⁸ Cf. v.g. A. DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio*, Brugis 1917, 464; I. CHELODI, *Ius matrimoniale*, Trento 1921, 123; F. WERNS-P. VIDAL-PH. AGUIRRE, *Ius canonicum*, V *Ius matrimoniale*, Romae 1946, 620; S. SIPOS, *Enchiridion iuris canonici*, Roma 1954, 499; F. CAPPELLO, *De matrimonio*, Torino 1961, 516; E. REGATILLO, *Ius sacramentarium*, Santander 1956, 778.

natur, necessario tendit in obiectum actus prout illud ab intellectu cognoscitur. Si autem voluntas non determinatur ad actum, tunc ille error terminatur quidem in intellectu, at tunc versamur extra quaestionem, quia actus iuridici non sunt actus intellectus, sed actus voluntatis.

In redactione c. 1084/CIC 1917 adiectivum “simplex”, non obstantibus his difficultatibus, aliquid conferebat ad efferendum errorem de quo in hoc canone agebatur esse errorem qui numquam vitiat consensum matrimonialem. At supposita additione clausulae «dummodo non determinet voluntatem», huiusmodi adiectivum non poterat remanere, quia redderet textum canonis non amplius sibi cohaerentem.

b. SUPPRESSIO INCISI “ETSI DET CAUSAM CONTRACTUI”

Haec locutio in c. 1084/CIC 1917 atque apud commentatores illius Codicis habet sensum technicum, qui non coincidit cum sensu quem verba ipsa suggerere videntur quemque recentius plures scriptores, praesertim italici, absque fundamento historico, ei tribuunt.

“Error dans causam contractui” in terminologia canonica tempore CIC 1917 est idem ac “error antecedens”, absque addito. Hoc autem termino indicatur ille error, sive iuris sive facti, qui invenitur in illo contrahente qui ita est animo dispositus ut non contraheret si veritatem cognosceret⁹. Ideo aliquo modo valde

⁹ Cf. M. BERTI, *L'esclusione della sacramentalità nel matrimonio da parte dei battezzati non-credenti nella dottrina e nella giurisprudenza attuali*, dis. ad Lauream in Fac. I.C. Univ. Gregoriana, Trento 1992, 42, nt. 71, ubi plures textus auctorum (De Smet, Chelodi, Wernz-Vidal-Aguirre, Sipos, Conte a Coronata,

amplo potest dici illum errorem “dare causam” seu esse causam contractui, quatenus sine illo errore contractus non perficeretur. Ut autem habeatur status erroris «dantis causam contractui» (seu erroris antecedentis), minime requiritur ut ille error sit “motivum” seu ratio ob quam voluntas movetur ad contrahendum.

Claritatis gratia, in materia erroris, status animi in quibus inveniri potest contrahens possunt reduci ad tres: a) Status eius qui tali animo est dispositus ut eodem modo contraheret si cognosceret veritatem. Est error qui dicitur concomitans. b) Status eius qui non contraheret, si cognosceret veritatem. Est error antecedens seu «dans causam» in terminologia canonistica traditionali. c) Status eius qui *ideo* contrahit *quia* putat id circa quod errat esse verum, ideoque non contraheret si cognosceret veritatem. In hoc casu error est «motivum» seu ratio ob quam contrahens movetur ad contrahendum. Hic autem error, in terminologia canonistica, includitur in «errore antecedenti» seu «dante causam contractui». Ideo locutio «etsi det causam contractui» c. 1084/CIC 1917 includit factispecies b) et c) ex indicatis, absque distinctione. Pro utraque factispecie canonistae tenent errorem dantem causam (seu antecedentem), non habere influxum invalidantem. Card. DE LUGO sibi proponit explicite casum c) circa indissolubilitatem matrimonii, et quidem sub termino «erroris antecedentis». Ipse tenet in illo casu matrimonium esse nullum, probabiliter quia putat in casu dari exclusionem implicitam indissolubilitatis. At eius sententia non habuit assecclas¹⁰.

Cappello, Regatillo) refert in quibus pro eodem prorsus sumitur «error antecedens» et «error dans causam».

¹⁰ Cfr. L.M. MONTEMAYOR, *El error sobre la dignidad sacra-*

Recentius plures auctores, praesertim italici, maiore in dies insistentia ceperunt interpretari «errorem dantem causam» sensu «erroris motivi», (l'errore motivante), transferendo ad ius canonicum conceptus et terminos qui in traditione canonica radices non habent nec cum conceptibus et terminis CIC 1917 vel 1983 plene cohaerent. Iuxta hanc tendentiam, terminus «error dans causam contractui» includit tantummodo factispeciem c) ex supra enumeratis, siquidem ut habeatur «error dans causam» exigitur, iuxta hos auctores, ut error reapse sit «motivum» (il motivo, la causa movente) seu ratio ob quam voluntas movetur ad matrimonium contrahendum.

Si autem, contra traditionem canonicam, «error dans causam» intelligitur hoc sensu restricto seu pro «errore motivo», facile intelligi possunt difficultates quae moventur contra doctrinam his terminis in iure canonico expressam. Scribit v. gr. GRAZIANI:

«Non è facile, sotto il profilo psicologico giustificare razionalmente l'irrelevanza dell'errore, ove esso si assuma non già come semplice componente di una complessa motivazione, ma come errore motivante, cioè determinante la negoziazione (error dans causam contractui)»¹¹.

Iam vero, quod attinet ad terminologiam, in iure canonico «error dans causam» non habet hunc sensum restrictum «erroris motivi» («errore motivante, cioè determinante la negoziazione»), sed sumitur simplici-

mental del matrimonio: Evolución doctrinal (siglos XII-XVII), dis. ad Lauream in Fac. I.C. Univ. Gregoriana, 1991, nondum edita, 240-267. Cfr. etiam M. BERTI, o.c., in nt. 9, 145, nt. 188.

¹¹ E. GRAZIANI, *Volontà attuale e volontà precettiva nel negozio matrimoniale canonico*, Milano 1956, 102. Alios textus et auctores invenies apud M. BERTI, o.c., in nt. 9, 44-47, 52-56.

ter pro errore antecedenti, qui includit status animi b) et c) ex supra recensitis. Quod spectat autem doctrinam, non obstante difficultate peculiari casus sub c) quam effert GRAZIANI, doctrina canonistica communis tenet errorem, qua errorem, sive iuris sive facti, vitare consensum tantummodo si versatur circa substantiam actus, non vero si versetur circa «motivum» seu rationem ob quam voluntas movetur ad contrahendum.

Ideo, supposita hac doctrina, suppressio incisi «etsi det causam contractui», non mutat sensum c. 1099. Agitur enim de clausula declarativa-inclusiva, quae per se nihil addit canoni, iuxta communem eius interpretationem. At ex alia parte, fatendum est terminum «error dans causam contractui» esse obnoxium interpretationibus non consonis cum traditione canonica. Immo admittendum plane est vix componibile videri, sub respectu psychologico, ut quis, ad exemplum, *ideo* moveatur ad contrahendum *quia* putat matrimonium esse solubile et simul intendat, voluntate quidem praevalenti ideoque efficaci, contrahere matrimonium indissolubile¹². Prudenter igitur talis clausula suppressa est ex hoc canone, quamvis conservata sit in c. 1097 de errore facti circa qualitatem personae¹³.

¹² Hanc difficultatem efferebam in observationibus ad Schema a. 1974 quoad clausulam «dummodo non afficiat voluntatem», notando non posse facile intelligi et admitti «qua ratione error qui dat causam contractui non vitiet consensum matrimonialem» (U. NAVARRETE, *Schema iuris recogniti "De matrimonio": Textus et observationes*, in *Periodica* 63 (1974) 638.

¹³ Notetur tamen differentia praesuppositorum inter utrumque canonem. In errore iuris de quo in c. 1099, uti diximus, vix fieri potest, sub respectu psychologico, ut quis *ideo* moveatur ad contrahendum *quia* putat matrimonium esse solubile et simul in-

c) ADDITIO INCISI «DUMMODO NON DETERMINET VOLUNTATEM»

In Schemate 1974 dicebatur «dummodo non afficiat voluntatem». Haec autem verba ponebantur, iuxta Relatorem, «loco verborum» «etsi det causam contractui». Ex his tamen quae in paragrapho superiori diximus, patet verba «etsi det causam contractui» habere sensum prorsus diversum.

Clausula «dummodo non afficiat voluntatem» Schematis 1974 non poterat acceptari. Notabam in meis observationibus: «Pariter clausula “dummodo non afficiat voluntatem” non est felix. Omnis enim error afficit voluntatem. Quaestio hic est utrum afficiat tali gradu ut consensum matrimonialem vitiet»¹⁴. Reapse inde ab Schemate 1980 loco horum verborum apparent verba «dummodo non determinet voluntatem». Ad haec, Commissio Codici Recognoscendo dicit tantummodo:

tendat, voluntate efficaci, matrimonium indissolubile. Secus autem accidit in errore facti circa qualitatem personae, de quo c. 1097. Nullo modo videtur inkomponibile, sub respectu psychologico, ut quis *ideo* contrahat *quia* putat compartem esse v. gr. divitem, nobilem etc. cum consensu matrimoniali naturaliter sufficienti. Ceterum c. 1097 supponit dari discrimen inter errorem circa qualitatem personae dantem causam contractui et errorem circa qualitatem personae «directe et principaliter intentam».

¹⁴ U. NAVARRETE, *Schema iuris recogniti “De matrimonio”*, art. cit. in nt. 12, 637. Haec mea propositio est communis in doctrina, sic v. gr. CAPPELLO (o.c., 512): «Cum voluntas feratur in obiectum praevis cognitum, et quidem prout est cognitum, palam est errorem semper influere in voluntatem. Sed non omnis actus per errorem positus dicendus est nullus». Cfr. etiam CHELODI, o.c., 120. Uterque auctor animadvertit quod hoc fieri potest tantummodo si aut iure naturae consensus prorsus deficiat aut positiva lege reddatur inefficax.

«Aliqui dixerunt verba C.I.C. «etsi det causam contractui» esse clariora, alii proposuerunt «dummodo non excludat voluntatem», alii «dummodo non determinet voluntatem». Post brevem discussionem, Consultores eligunt verba «dummodo non determinet voluntatem»¹⁵

Nulla ratio indicatur cur Consultores elegerint verba «dummodo non determinet voluntatem», quae quidem fatendum est non eminere claritate. Ad eorum sensum recte interpretandum, quod est scopus nostri studii, iuvabit praesupposita c. 1099 prae oculis habere.

2. Praesupposita c. 1099

Imprimis notandum est canonem agere de personis capacibus ad matrimonium ineundum, etsi forte mentem deformatam habuerint ob ideologiam a veritate longe aberrantem. Observatio hodie non videtur superflua. Sunt enim qui tali modo loquantur de illis qui ideologiam aberrantem ob errores radicales circa institutum matrimoniale habent, ut videantur illos considerare ac si essent incapaces emittendi verum consensum matrimonialem¹⁶.

C. 1099, uti fere omnes canones de consensu matrimoniali, praesupponit principia Psychologiae scholasticae circa facultates superiores intellectus et voluntatis atque circa dependentiam voluntatis ab intellectu. Voluntas non potest tendere nisi in obiectum cognitum et quidem prout cognitum. Recte modo para-

¹⁵ *Communicationes*, 9 (1977) 373.

¹⁶ Cfr. U. FUMAGALLI CARULLI, *La relazione dinamica tra il can. 1082 e il can. 1081 Cod. Iur. Can.*, (CIC 1917), in *Ephem. Iur. Can.*, 35 (1979) 265s.

doxico et denso scribit P. DE FINANCE. «Voluntas autem nullo modo est facultas coeca, ut saepius dicitur; habet oculos sibi debitos, scilicet intellectum»¹⁷.

Iam vero cognitio humana tum quoad conceptus universales (v. gr. homo, animal), tum quoad iudicia theoretica (homo est animal rationale), tum quoad iudicia valutativa practica (matrimonium est bonum), tum vel magis quoad iudicia valutativa practico-practica (hoc matrimonium est bonum mihi) est semper in inensum imperfecta et limitata. Recte potest dici hominem, etiam quoad obiecta quae penitus cognoscere videtur, plus ignorare quam cognoscere, eiusque cognitionem, quaecumque ea sit, erroribus semper scatere.

Haec tamen naturalis limitatio cognitionis humanae minime impedit quominus homo actus voluntatis elicere possit, qui sint plene humani, liberi, ac, positos ponendis, obligationes sive morales sive iuridicas, etiam perpetuas, inducentes. Secus vita socialis, moralis et iuridica esset impossibilis. Vita vere humana praesupponit cognitionem humanam ideoque valde limitatam realitatis, quae tamen sufficiens est ad vitam humanam, moralem, socialem et iuridicam fundandam et ducendam.

Hoc firmiter stabilito, patet eum qui actum iuridicum ponit plurima sive circa eius naturam iuridicam sive circa eius obiectum ignorare, quin illa ignorantia obtest validitati actus. Problema autem saepe ponitur, et quidem saepius valde arduum, determinendi ea quae sive in iure sive in facto ignorari non possunt ut actus iuridicus validus poni possit.

C. 1099 praesupponit distinctionem inter id quod

¹⁷ DE FINANCE, *De actu humano ut libero*, Romae 1964, 14.

constituit «substantiam» foederis coniugalis et matrimonii «proprietates essentielles, unitatis et indissolubilitatis» (cfr. cc. 1058, 1101 & 2), quibus aequiparatur in matrimonio duorum baptizatorum eiusdem sacramentalis dignitas. Id quod constituit «substantiam» describitur in c. 1096, quodque, proinde, ignorari non potest a contrahentibus ut validum consensum matrimonialem emittant. Supposita cognitione «substantiae actus», ignorantia vel error circa sic dictas «proprietates essentielles», non impediunt quominus consensus matrimonialis possit esse validus, etsi huiusmodi «proprietates» sunt qualitates quae necessario subsequuntur omne matrimonium validum. Notandum est unitatem, indissolubilitatem et sacramentalem dignitatem non exhaustire elenchum qualitatum, quae subiiciuntur principio c. 1099. Idem enim principium applicatur omnibus qualitibus (iuribus et obligationibus) quae necessario et inseparabiliter subsequuntur matrimonium¹⁸.

Voluntas tendit in obiectum volitum prout ab intellectu ei exhibetur. Cum obiectum continet elementa quae explicite non cognoscuntur, huiusmodi elementa a voluntate intendi non possunt nisi implicite in

¹⁸ Sufficiat citasse P. LAYMANN: «sin vero matrimonium accipiat pro actuali contractu, essentia eius consistit in consensu: dictae autem obligationes, fides, inquam, perpetuitas, et proles, censentur veluti proprietates, seu effectus permanentes» (*De matrimonii sacramento*, pars 2, c. 7, n. 8). Et H. CORNICK agens de iis in quae consentire debent saltem implicite, contrahentes: «Tertio, in obligationem reddendi debitum non quocumque modo, sed cum debite exigetur. Item in obligationem, quandiu matrimonium durabit, numquam aliam a coniuge cognoscendi, et non impediendi generationem, et prolem si nascatur christiane educandi, quia huiusmodi obligatio necessario cum essentia matrimonii coniuncta est» (*De Sacramentis ac Censuris*, t. 2, disp. 24, sub. 4, n. 40).

actu volendi illud obiectum prout est, in tota sua complexitate. Quod praesertim valet quando agitur de elementis inseparabiliter connexis cum obiecto. Quodsi cognitis huiusmodi elementis, voluntas aliquod ex eis reiicit, ipso facto reiicit et obiectum cui inseparabiliter illud elementum est connexum. Si pugna habetur inter duas tendentias voluntatis illa praevalerebit quae fortior et efficacior fuerit. Liceat uti exemplo: Si quis v. gr. ex America vult venire in civitatem Mediolani, implicite vult venire etiam in Italiam, etsi ignoret Mediolanum esse in Italia, immo etsi erronee putet Mediolanum esse in Helvetia. Si autem ipse ullo modo, ob quamcumque rationem, non vult; voluntate quidem praevalenti et efficaci, venire in Italiam, eo ipso non vult venire in civitatem Mediolani, quia agitur de obiectis voluntatis inseparabilibus. In conflictu inter duas tendentias voluntatis (non venire in Italiam-venire in civitatem Mediolani) necessario illa ex eis praevalerebit quae reapse fortior et efficacior sit. Qui enim vellet venire in Mediolanum non vero in Italiam intenderet obiectum inexistentis et fictitium.

Hac super re peculiaris difficultas exsurgit ex errore "pervicaci" vel "radicato", qui dicitur, de quo aliquid dicamus oportet.

3. Inefficacia erroris «pervicacis»

In iurisprudencia canonica ab aliquibus decenniis adhibentur termini «*error pervicax, in mente contrahentis radicans, inveteratus, in mente contrahentis funditus inditus, vel qui tenacius insidet in mente, vel qui erroneis placitis tenaciter adhaeret*»¹⁹. Saepius re-

¹⁹ I. PARISELLA, *De pervicaci seu radicato errore circa matri-*

feruntur verba unius c. FELICE 13 iul. 1952: «Si error sit ita in animo contrahentis radicatus ut novam veluti eius naturam constituat»²⁰.

Clausula «dummodo non determinet voluntatem» novi c. 1099 posset intelligi ac si ageret de errore pervicaci qui, qua talis, determinaret voluntatem ad volendum aliquid quod non est amplius matrimonium. Uti patet non est hic locus agendi ample de hoc errore. Pro nostro scopo sufficiat aliqua animadvertere.

Problema hic consideramus tantummodo sub respectu substantivo, non processuali seu ad probationem in foro externo quod spectat. Ideo admittendum quidem est illud primum principium enuntiatum a PARISELLA et communiter acceptatum: «Quo tenacior est error, eo debilior est praesumptio voluntatem illam generalem respiciens matrimonium contrahendi, sicut a Domino institutum est, vel sicuti ceteri homines contrahere solent»²¹. Attamen locutiones «sicuti a Domino institutum est, vel sicuti ceteri homines contrahere solent», et aliae huiusmodi, quae constituunt veluti mensuram minimam, quae in traditione canonica adhibentur ad indicandam intentionem necessariam et sufficientem ad contrahendum, non exhaustiunt criteria ad talem intentionem minimam et sufficientem

monii indissolubilitatem. Iurisprudencia rotalis recentior, in «*Ius Populi Dei*», Miscellanea in h. R. Bidagor, curante U. NAVARRETE, III, Roma 1972, 517, ubi plures citationes in confirmationem adducuntur. Plurimae huiusmodi locutiones ad indicandum hunc errorem ex iurisprudencia canonica colliguntur a A. STANKIEWICZ, *De errore voluntatem determinante (can. 1099) iuxta rotalem iurisprudentiam*, in *Periodica*, 79 (1990) 465-469.

²⁰ SRRD, v. 46, p. 616, n. 4.

²¹ I. PARISELLA, o.c. in nt. 19, 523-524.

describendam. Immo illa criteria, salva reventia erga Traditionem quae illa consecravit, non videntur satis apta, utpote extrinseca ipsi contrahenti, qui, ut plurimum, procedit sponte, instinctu quodam naturali, absque ulla referencia ad propriam ideologiam vel ad propriam conceptionem theoreticam de matrimonio vel ad id quod alii putant vel faciunt cum matrimonium contrahunt.

Meo iudicio, criterium obiectivum non potest esse aliud quam gradus amoris sponsalis: Qui enim contrahit germano amore coniugali impulsus, sponte, instinctu naturali ductus, intendit sibi in celebrando matrimonio donationem-acceptationem perpetuam et exclusivam in ordine ad fines proprios societatis coniugalis, quaecumque fuerit eius ideologia vel eius cognitio abstracta instituti matrimonialis. Amor enim sponsalis, ex imis naturae humanae scatens, eam induit naturam eaque pollet vi ut impellat ad donationem definitivam et exclusivam, quae propria est matrimonio, illamque vehementer ex comparte exigit in ordine ad fines proprios matrimonii, quaecumque fuerit mentalitas vel positio theoretica contrahentis circa institutum matrimonii abstracte et in se consideratum. Illae autem profundae exigentiae veri amoris sponsalis determinant consensum matrimoniale, dotatum notis quae illis exigentiis profundis respondeant, talem scilicet qui positus aliis de iure ponendis sit naturaliter sufficiens ad matrimonium generandum. Errores circa unitatem vel indissolubilitatem (aut sacramentalem dignitatem) quantumvis radicati per se non sufficiunt ad illam vim naturalem amoris sponsalis elidendam, quae contrahentem impellit ad societatem coniugalem, fidelem quidem ac sine fine, cum illa persona determinata quam amat, per foedus coniugii, constituendam. E contra si verus amor sponsalis deficit,

hic defectus efficiet ut contrahens eliciat actum voluntatis, ex cuius obiecto excludatur aliquod elementum vel aliqua proprietas, sine quibus consensus matrimonialis consistere non potest. Hoc accidere potest cum quis contrahit positive praevidens et proprio matrimonio aliquo modo referens possibilitatem divortii, quod putat connaturale cum instituto matrimonii. At tunc vitium consensus non provenit ex errore, quantumvis radicato, circa indissolubilitatem, sed ex defectu impulsus naturalis necessarii ad verum consensum matrimoniale praestandum.

Repetere liceat me hic respicere ad ius substantivum tantummodo. Praesumptio enuntiata a PARISELLA, in principio supra indicato, per se respicit probationem (seu ius processuale), quamvis praesupponat fundari in iure substantivo.

Aliud principium enuntiat PARISELLA quod et communiter acceptatur «Quo tenatior est error eo facilius est gressus ad positivum voluntatis actum»²². Meo iudicio, principium prout enuntiatur tantummodo acceptari potest si intelligitur de transitu ad implicitam exclusionem alicuius proprietatis ex consensu, de qua quaestione inferius agam. Nemo enim potest «positivo actu voluntatis» excludere id quod ignorat vel quod erronee putat ad matrimonium non pertinere. Et hypothesis de qua agimus est praecise haec, scilicet de influxu erroris “radicati” qui dicitur, circa aliquam proprietatem, in consensum matrimoniale.

Pro nostro scopo sufficiat duas observationes subiungere:

- 1) Iurisprudencia rotalis errori qua tali, etiamsi

²² I. PARISELLA, o.c. in nt. 19, 524.

quam maxime “radicato”, non agnoscit influxum invalidantem, sed semper requirit ut fiat transitus uno vel alio modo ad actum positivum voluntatis²³.

2) Casus circa quos Iurisprudencia evolvit doctrinam de errore “radicato” sunt casus in quibus error theoricus, ut ita dicamus, contrahentis circa proprietates matrimonii non remanet purus, sed de facto semper habentur adiuncta peculiariora vi quorum contrahens refert, aliquo modo speciali, ad suum matrimonium doctrinam erroneam, quam tenaciter tenet. Quo fit ut reapse casus solvantur ob aliam rationem quae uno vel alio modo praesupponit actum voluntatis excludentem aliquod elementum sine quo consensus subsistere non potest²⁴.

4. Clausula «dummodo non determinet voluntatem»

Legislator canonicus sancit principium et quidem in libro *De Normis generalibus*, transcendens proinde totum Codicem, iuxta quod «actus positus ex ignorantia aut ex errore qui versetur circa id quod eius substantiam constituit, aut qui recidit in condicionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur...» (c. 126). Idem principium inveniebatur in CIC 1917, aliter redactum: «Error actum irritum reddit, si versetur circa id quod constituit substantiam actus aut recadat in conditionem sine qua non; secus valet, nisi aliud iure caveatur...» (c. 104).

Legislator admittit figuram «erroris, qui recidit in

²³ Cfr. A. STANKIEWICZ, art. cit. in nt. 19, 469-481, ubi plurimas citationes ex iurisprudencia rotali colligit hac super re.

²⁴ Cfr. M. BERTI, o.c. in nt. 9, 167-202, ubi sententiae rotales quae sub hoc respectu maioris sunt significationis studio subiiciuntur.

condicionem sine qua non», eique tribuit eandem efficaciam irritantem ac errori qui versatur circa id quod actus substantiam constituit. Agitur etenim de errore circa aliquid, quod obiective non est substantiale (non versatur circa id quod constituit substantiam actus), tamen subiective, id est pro eo qui actum ponit, assumit valorem substantiale, quatenus illud uti elementum essenziale actus intenditur. Patebit simplici exemplo: Tirtius armentum equorum alborum gloriatur habere atque equos *albos* ardentem ex vanitate quaerit ita ut, nullo modo, velit emere equos alius coloris. Si, supposita hac dispositione animi, ex errore emit equum nigrum, albedine depinctum, actus iuridicus est irritus, quia, etsi error circa colorem per se est error accidentalis, in hoc casu, pro hoc emente, est «error qui recidit in condicionem sine qua non».

Ut detur consensus condicionatus, ut plurimum, requiritur ut agens in dubio versetur circa id quod sub conditione ponit ut efficaciter securum reddat effectum quem intendit. Attamen dubium supponit dari aliqua adiuncta, quae illud suscitent. Voluntas autem potest esse in statu permanenti volendi aliquam rem tantummodo si haec res qualitate aliqua determinata est ornata; qua qualitate deficiente, res non est amplius obiectum voluntatis. Potest autem accidere ut agens habeat certitudinem subiectivam, in errore fundatam, rem quam actu intendit esse ornatam qualitate illa quam intendit ut condicionem sine qua non. Tunc, uti patet, condicio non exprimitur; at actus voluntatis tendit in illam rem, quam vult, et quidem sub conditione sine qua non, ornatam illa qualitate de qua agitur.

— Sub respectu systematico graves moventur obiectiones eo quod hoc actus iuridici caput nullitatis collocetur sub categoria «erroris», cum, e contra, in-

validitas provenire videatur non ex errore, qui est actus intellectus, sed ex actu voluntatis tendentis in obiectum quod caret qualitate illa quae intenditur ut conditio sine qua non. Attamen notandum est in hoc casu voluntatem tendere ex errore intellectus in obiectum, quod subiective seu pro subiecto actum elicienti, est substantialiter aliud ac illud quod reapse intendit, non secus ac quando agitur de errore «circa id quod actus substantiam constituit»²⁵. Sed quidquid sit de quaestione theórica circa hunc ordinem systematicum (quae quaestio tandem aliquando est minoris momenti), Legislator canonicus reapse talem ordinem sanciscit, ideoque canonista iuxta illum ordinem procedat oportet.

Principium enuntiatum in c. 126 de influxu invalidante erroris «qui recidit in conditionem sine qua non», applicatur quoque in iure matrimoniali, etsi diversis formulis expressum. Meo iudicio, casus in quo magis clare apparet est in c. 1097 & 2 de errore facti: «Error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritum non reddit, *nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur*». Notetur bene: asseritur imprimis errorem in qualitate personae, *etsi det causam contractui*, non irritare matrimonium. Clausula autem «etsi det causam contractui» aequiva-

²⁵ Cfr. G. MICHIELS, *Principia generalia de personis in Ecclesia*, Parisiis... 1955, 655, nt. 2. Contra hunc ordinem systematicum quo admittit dari actus irritos «ex errore qui recidit in conditionem sine qua non» sese opposuit P. FEDELE in repetitis scriptis, praesertim quod attinet ad eius applicationem, sub diversis formis, in campo matrimoniali. Cfr. v. gr. P. FEDELE, *Errore improprio o condizione impropria non verificata nel consenso matrimoniale in diritto canonico*, in «*Ius Populi Dei*», o.c. in nt. 19, 543-570, cum bibliographia relata in p. 543, nt. 3.

let errori antecedenti, qui includit etiam, uti supra diximus, “errorem motivum” (italice, “l’errore motivante”) seu qui est ratio ob quam voluntas movetur ad praestandum consensum matrimonialem, v. gr. *Ideo* contrahit cum Caia *quia* putat eam esse nobilem. Legislator igitur asserit errorem circa qualitatem personae, *etsi agatur de errore motivo seu qui est ratio ob quam voluntas movetur ad contrahendum*, non reddere invalidum matrimonium. Quod significat illam clausulam comprehendere tantummodo casus in quibus error, etsi det causam contractui, non tamen «recidit in conditionem sine qua non»; secus irritaret matrimonium ad normam c. 126. E contra, exceptio quae ponitur in canone: «nisi qualitas directe et principaliter intendatur» comprehendit illos casus in quibus illa qualitas tali intensitate intenditur ut reapse ingrediat in obiectum consensus²⁶, uti condicio sine qua non. Agitur ideo de capite nullitatis, quod in c. 126 uti principium generale, totum Codicem transcendens,

²⁶ In c. 1097 eliminata est figura erroris qualitatis redundantis in errorem personae. Ratio videtur fuisse haec: error qualitatis *individuantis*, qui, iuxta unam interpretationem, erat unicus error qualitatis redundans in errorem personae, reassumitur in errorem personae. Error autem qualitatis *communis* qui, iuxta aliam interpretationem, dicebatur etiam error qualitatis redundans in errorem personae coincidit cum figura quae exprimitur locutione «qualitas directe et principaliter intenta», sancita a S. ALPHONSO. Quo fit ut eliminatus sit conceptus erroris qualitatis redundantis in errorem personae, qui interpretationibus circa conceptum personae longe a traditione canonica alienis, ultimis annis ante promulgationem Codicis, ansam dederat. Circa historiam huius complexae quaestionis, cfr. J.C. ORSI, *O erro de qualidade que redunde em erro de pessoa: Contribuição de Tomás Sánchez*, dis. ad Lauream in Fac. I.C. Univ. Gregoriana, Romae 1992, cum ampla bibliographia ad diem circa influxum erroris in consensum matrimonialem.

enuntiatur verbis «error qui recidit in condicionem sine qua non», quodque aliis verbis in c. 1097 & 2 ad campum specificum applicatur.

Meo iudicio, in c. 1099 habetur alius casus applicationis principii generalis enuntiati in c. 126. Acceptato enim ordine systematico, quem Legislator indicat, quoad nullitates actus iuridici ex errore positi, concludendum videtur clausulam «dummodo non determinet voluntatem» c. 1099 aequivalere clausulae «ex errore, qui... recidit in condicionem sine qua non» c. 126. Aliis verbis: in c. 1099 habetur applicatio principii generalis enuntiati in c. 126 ad errorem circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, aliis tamen verbis propositi; haud secus ac accidit in c. 1097 & 2 quoad errorem in qualitate personae si «qualitas directe et principaliter intendatur».

Quod si ita est, meo iudicio, admittendum quoque est in c. 1099 non proponi novum et autonomum caput nullitatis, non praevisum in c. 1084/CIC 1917. Agitur simpliciter de diversa redactione canonis in quo nunc explicite admittitur id quod in c. 1084 implicite tantum continebatur vi principii generalis c. 104 CIC 1917, scilicet quod error (absque restrictione, proinde etiam ille qui versatur circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem) qui non versatur circa id quod constituit actus substantiam, irritat actum iuridicum tantummodo si «recidat in condicionem sine qua non». Hoc autem principium in c. 1084 CIC/1917 innuebatur appositione adiectivi «simplex» quo qualificabatur error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, qui vim invalidantem non habet; dum eo ipso insinuabatur posse dari errorem «qualificatum» circa huiusmodi proprietates matri-

monii scilicet errorem cui vis invalidans, ad normam c. 104/CIC 1917, agnoscebatur quippe qui consideraretur error qui recidebat in conditionem sine qua non.

5. Conclusiones

Ut dicta paucis comprehendam, concludo:

1) Suppressio adiectivi «simplex» et clausulae «etsi det causam contractui» in c. 1099, quae verba inveniebantur in c. 1084 CIC 1917, nihil mutant sensum et doctrinam canonis.

2) Adiectivum «simplex», quod primo a GASPARRI adhibitum esse videtur quodque ab eo in CIC 1917 inductum est, non erat satis aptum ad rem quam intendebat exprimere exprimendam. Praeterea et praesertim, addita in c. 1099 clausula «dummodo non determinet voluntatem», illud adiectivum non poterat sustineri absque incongruentia in textu canonis.

3) Clausula «etsi det causam contractui» suppressa est quia superflua et hodie confusionibus obnoxia. Error enim «qui dat causam contractui» in terminologia et doctrina canonistica prout maturata erat iam tempore promulgationis CIC 1917 et prout in hoc Codice recepta est, equivalebat «errori antecedenti», qui comprehendebat absque distinctione duos status psycholicos errantis satis inter se diversos: a) statum eius qui simpliciter non contraheret si cognosceret veritatem; et b) statum eius qui *ideo* contrahit *quia* putat id circa quod errat esse verum, secus non contraheret; quo in casu error est «motivum» seu ratio ob quam voluntas movetur ad contrahendum (italice, «l'errore movente»).

4) Recentius autem animadvertitur tendentia in dies intensior, praesertim apud auctores italicos, ad

restringendum «errorem dantis causam» ad «errorem-motivum» (italice, «l'errore movente») atque ad ei agnoscendam vim invalidantem. Quod non est conforme cum terminologia et doctrina canonistica, non obstante aliquo textu qui hinc inde inveniri potest (v. gr. apud Card. DE LUGO) qui confusionem generare potest.

5) Uti principium generale firmiter tenendum est aliud esse errare circa «motivum» seu circa rationem ob quam voluntas movetur ad contrahendum, aliud vero errare circa ipsum contractum.

6) Attenta autem natura matrimonii, videtur vix componibile sub respectu psychologico ut quis *ideo* contrahat matrimonium *quia* putat id esse solubile et simul intendat, voluntate quidem praevalenti et efficaci, matrimonium indissolubile. Ideo vix videtur possibile ut in hac animi dispositione quis elicere possit consensum matrimonialem naturaliter sufficientem ad matrimonium constituendum.

7) Error «radicatus» seu «pervicax» qui dicitur, qua talis et in se consideratus, etsi habeatur simul cum ideologia circa matrimonii proprietates maxime a veritate aberrante, non reddit personam errantem incapacem ad verum consensum matrimonialem emitendum.

8) Ratio est, meo iudicio, quia errores et ideologiae etiam maxime a veritate circa proprietates matrimonii aberrantes non impediunt quominus persona quae eis afficitur, possit habere germanum amorem sponsalem. Qui autem vero amore sponsali est affectus, in celebratione sui matrimonii, impellitur instinctu quodam naturali ad societatem coniugalem fidelem quidem et sine fine, cum persona amata constituendam, quin referat errores vel ideologiam aberrantem, qua imbuitur, ad proprium matrimonium.

9) Clausula «dummodo non determinet voluntatem» c. 1099 videtur non posse intelligi alio sensu quam hoc: «... dummodo non determinet voluntatem» ad emittendum consensum matrimonialem ex cuius obiecto, uno vel alio modo magis vel minus explicito, sed vi praevalenti et efficaci, exclusa est matrimonii unitas, indissolubilitas aut sacramentalis dignitas. Aliis verbis: ... determinat voluntatem ad volendum matrimonium, sed, vi praevalenti et efficaci, sine eius unitate, indissolubilitate aut sacramentali dignitate, quae sunt qualitates quae inseparabiliter subsequuntur id quod substantiam matrimonii constituit ac proinde sine quibus matrimonium consistere non potest.

10) Ratio vero ultima cur voluntas determinetur in hunc sensum non est error quia talis quantumvis “pervicax” et “radicatus” neque ideologia circa proprietates matrimonii vel maxime a veritate aberrans. Ratio ultima erit in singulis casibus defectus germani amoris sponsalis, qui efficiet ut contrahens non impellatur ad donationem exclusivam et definitivam in ordine ad fines societatis coniugalis. Quo minime negatur errores circa matrimonii proprietates atque ideologias in hac re longe a veritate aberrantes influxum magnum exercere posse in impediendo quominus germanus amor coniugalis modo naturali et spontaneo, cum suis profundis exigentiis generositatis, evolvatur et maturescat.

11) Quoad ordinem systematicum, figura erroris quae in c. 1099 sancitur, subsumitur in principio generali quod enuntiatur in c. 126: «Actus positus ex errore... qui recidit in condicionem sine qua non, irritus est».